Citius quam volui, paene quam valui, opusculum hoc in lucem edere cogor, si qua est lux in bibliothecarum thecis illis, quibus recondita gymnasiorum programmata quiescere solent. Neque enim tulit animus mutatas dicere scripturas quibus hoc iam anno in commentatiunculam receptis augerem sive pretium sive paginas programmatis gymnasii nostri, et munus benignius quam prudentius susceptum vires aegre sustinuere. Diutius in studiis quibusdam nunquam prorsus neglectis, intermissis non mea culpa saepe, versari in animo erat, ut ad annum vel plures post annos maiorem disputationem aut de Ovidi Fastis, de quibus nuperrime nova protulit Merkelius, aut de scholiis ad Euripidem emendandis ederem. Sed cum alii, quamquam et annis et doctrina digniores qui programmatis munus subirent, oblatum non accepissent necessitate coacti, eandem ego necessitatem neglegens accepi ac subii mandatum, ut onerari ita honorari me eo arbitratus. Atque oneris quidem nimium mihi ipse tribui, honoris mihi ne nimis sit tributum ab aliis, valde timendum. Quod mihi consilium fuerat uberioris disputationis, quae unam eamque integram amplecteretur rem, id, cum expectatione artius constrictum esset temporis spatium, mihi fuit reprimendum.

Nam nobis, qui in scholae umbraculis desudamus, annus non est annus; quantulum enim otii illius temporis spatium ad propria studia relinquit cum omnino magistris tum nobis, munia sustinentibus gymnasii quod, numero ornatum plus septingentorum discipulorum, coetus coacervat membrorum usque ad sexaginta? Atque superiores quod minus habent numeri, plus habent laboris.

In quibus si quini tibi sunt schedarum acervi emendandi a discipulis conscriptarum, quid restare putas tibi temporis ad emendandos scriptores? Male etiam obtigit mihi, quod illo ipso tempore, quo maxime opusculum me meum expediturum esse speraveram, in morbum subito incidi, qui unum fere mensem lecto me tenere iussit, vetuit per duos menses coepta studia me persequi. Haec igitur omnia effecerunt, ut neglecto de quo dixi consilio non de una re scribendum mihi censerem, sed plures et res et auctores tractare mallem, laborem ita suscipiens ideo faciliorem, quod diversi generis multa de quibus iam antea cogitaveram, multa praesertim

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quae in tractandis eis scriptoribus, quos cum discipulis legi, animadvertenda mihi notaveram, disputationi meae inserere potui, quo factum est, ut etiam crisin philologicam quodammodo applicarem atque adaptarem ad legendos scriptores, ratione illa usus consentanea sane magistro et iam assueta, quae philologicae huius aetatis institutioni affulsit nova lux. —

Atque ita disputationem hanc institui, ut, quae edisserenda haberem, in tria distribuerem capita, quorum primo agetur de locis quibusdam suspectis, ut videntur, Ovidi Fastorum, secundo de scholiis ad Euripidis Alcestin satis multis locis emendandis, non nullis, ut spero, emendatis, tertio denique de numero haud parvo locorum aut corruptorum aut spuriorum, quos e diversis scriptoribus decerpsi, nominatim e Tacito, Livio, Sallustio, Cicerone. Si quid de his locis alias prolatum erat, atque num quid iam esset prolatum, quoad eius fieri potuit, sedulo inspexi; paucos quosdam libros obtinere mihi non licuit. Si quid me fefellerit, veniam peto a legentibus, si qui erunt. Multa sane etiam investigare et inspicere, in multis planius et uberius sententiam meam aperire malueram; obfuere quas supra indicavi causae. Ceterum si, ut fert horum studiorum genus ac ratio, non omnia omnibus prolata erunt probata, ne eos quidem locos deesse persuasum habeo, in quibus sive verum sive utile aliquid protulisse videar, atque spicas spero aliquot, non spinas tantum me legisse. —

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf